



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VI. Vtrum corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ARTICVLVS VI.

Utrum corpus Christi sit mobiliter in hoc Sacramento?

TITVLVS articuli intelligitur de duplici genere mutationis, vt patet ex corpore, scilicet de locali, & de alia, quā designat esse sub speciebus.

Respondet autem corpus Christi non moueri per se, prout est in hoc Sacramento; posse autem moueri per accidens.

DVBIVM I.

Utrum corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, possit moueri localiter?

QUI censent corpus Christi non habere aliam praesentiam localem, quā praesentiam specierum, necessariō debent asserere illud in hoc Sacramento non posse moueri per se, sed per accidens motis speciebus, & quidem ita per accidens, vt non acquirat propriū *vbi* distinctum ab *vbi* specierum: qui verō asserunt habere propriū *vbi*, & propriam praesentiam distinctam à praesentia specierum, censent posse moueri, & quidem per se, sed

Notandum distinguendum id, quod fieri potest ab eo, quod fit re ipsa: supposita enim sententia, quā supra tenuimus de *vbi* corporis Christi in hoc Sacramento, omnino asserendum illud posse à Deo per se moueri: nam quod habet propriam praesentiam, saltem diuinā virtute est per se mobile, & transferri potest de loco ad locum, vnde non videtur dubitandum quin corpus Christi possit à Deo moueri etiam prout est in hoc Sacramento, vel deferendo species, vel vnā cum illis; similiter si rei naturam spectemus, potest etiam à se moueri per dotem agilitatis, vel ab Angelo.

Dices Angelus non potest producere praesentiam indiuisibilem in corpore, quod patet ex eo quod non possit corpus primò collocare modo indiuisibili.

Resp. neg. assumptum, ad cuius probationem dico Angelum quidem non posse primò rem diuisibili praesentia existentem reddere indiuisibilem, supposito tamen eius statu indiuisibili quoad locum, posse eam mouere, & similem praesentiam producere, nam quamuis non possit rem ad statum supernaturalem reducere, potest tamen reductam mouere cauendo modum proportionatum statui, quem iam obtinet.

Confirm. agens naturale non potest quantitati primò tribuere praesentiam extra subiectum; si tamen illa existat sine subiecto, potest mouere, & huiusmodi praesentiam in illā causare: nam experientia docet sacerdotem virtute naturali mouere species, easque variis in locis collocare.

Re ipsa non mouetur per se, ita vt subducatur speciebus sacramentalibus, quia si hoc fieret maxima praeretur idololatriae occasio, immò non possemus sine periculo idololatriae, & proinde sine peccato hostiam consecratam adorare: cum enim quolibet casu possemus dubitare, num Christi corpus esset sub speciebus, an verò fortè se subduxisset, manifesto periculo idololatriae exponeretur hoc Sacramentum cultu laetiae adorando.

Confir. corpus Christi per verba consecrationis positum in hoc Sacramento, solum definit esse corruptis speciebus: similiter idem corpus solum est in caelo, & in hoc Sacramento, igitur non ita mouetur à se, vel ab alio, vt designat esse sub speciebus, & tamen alibi extra caelum existat.

Non mouetur etiam per se species secum deferendo saltem communiter: quamuis enim corpus Christi in hoc Sacramento agilitatis dote sit praeditum, illā tamen non videtur vt communiter in hoc Sacramento, cum nō sit maior ratio vt illā, quā aliis, quibus tamen non vitur, prout est in Sacramento. Multo minùs mouetur per naturalem animae virtutem, quā naturaliter solum mouet corpus quantitatiue positum in ordine ad locum, & tantum mouet per membra organica, quibus anima vt nequit in hoc Sacramento.

Dixi, communiter, quia satis constat sacram hostiam nullo exteriori deferente ad varios Dei amicos fuisse delatam, quo casu incertum est, num fuerit delata ministerio Angelorum, an mota ab ipsomet Christo per dotem agilitatis, vel alio modo humanitate instrumentaliter se habente, vel immediatè à Deo, his praemissis

Resp. Corpus Christi potest localiter moueri per accidens, scilicet motis speciebus.

Probatur moueri, quia gestatur in supplicationibus, deferitur ad aegros, comeditur à nobis &c. ita vt alteri atque alteri spatio verè fiat praesens, vnde non tantum censetur moueri per extrinsecam denominationem, sed motum in se recipiendo & acquirendo aliud, atque aliud *vbi*, & proinde quod dicitur moueri per accidens, non ita accipiendum quasi ipsum corpus non recipiat in se *vbi*, sed quia non mouetur nisi ad motum specierum.

Porrò mouetur ab eo, qui mouet species, quod necessariò videtur dicendum, cum corpus Christi manducetur à sacerdote, manducatio autem sit actus vitalis, quem constat debere procedere ab eo, qui dicitur manducare; sacerdos etiam dicitur Sacramentum Eucharistiae ad aegros deferre, quā locutio, vt sit vera, requirit, vt corpus Christi ab eodem moueatur, à quo mouentur species, & hac sententia est communior.

Difficile tamen est explicatu, quomodo is, qui species mouet, moueat corpus Christi mouere; cum, vt supra ostendimus, illud solum videatur coniungi speciebus quoad localem praesentiam; quod non sufficit vt is qui mouet species dicatur etiam mouere Christi corpus, vt patet in aliis, quā solum localiter sibi inuicem coniunguntur.

Propter hoc argumentum aliqui censent corpus Christi moueri à Deo, dum species ab homine mouentur, vt Gabriel dist. 10. quaest. vnica art. 2. conclus. 10. ex quo enim facta est consecratio, per quam Christi corpus collocatur sub speciebus, sub quibus perseverat, quamdiu remanent, in quocumque loco sunt species, in eodem existit, & proinde ad motum specierum mouetur à Deo quodammodo ex pacto consequente institutionem huius Sacramenti. Verum ratio petita ex manducatione obstat, cum requiratur, vt id, quod dicitur manducari, per instrumenta vitalia attrahatur.

Dices corpus Christi posse dici manducari ratione specierum, sed id nullo modo videtur satisfacere, nullus enim concipitur manducare Christi corpus solum per communicationem idiomatum, quia

39.

Non mouetur etiam per se, species deferendo.

Non mouetur etiam per naturalem animae virtutem.

40.

Conclusio. Potest localiter moueri per accidens.

41.

Difficultas.

Quidam censent corpus Christi moueri à Deo.

Gabr.

Non probatur.

Operatio
specierum
non potest
tribui mo-
uenti spe-
cies ut vi-
talis eius
operatio.
Responde-
tur ad dif-
ficultatem
propositā.

quia videlicet traicit species, sub quibus illud la-
tet, sed dicimus manducare, quia ipsum corpus at-
trahimus & traicimus. Propter hoc aliqui dicunt
inter species & corpus Christi quandam unionem
effectivam intercedere, per quam species ipsum
corpus possint secum eodem loco servare; quae
unio etiam difficulter explicatur, & ut esset vera,
non videtur satis declarare, quomodo per illam
possimus dici manducare Christi corpus. nam
actiuitas & operatio specierum non potest tribui
mouenti species tanquam vitalis eius operatio,
qualis est manducatio.

In hac re maxime obscura, dicendum videtur
quod quemadmodum ad impediendum vacuum
vnum corpus attrahitur ab eo, qui mouet, & tra-
hit aliud, quod patet experientia ex lassitudine;
nam magis lassatur ad impediendum vacuum, quam si
vnicum moueret: ita hic corpus Christi moueatur
ab eo, qui mouet species quadam ratione nobis
non satis notā.

DUBIVM II.

*Utrum corpus Christi, prout est in hoc Sa-
cramento, possit aliam mutationem ab
agente naturali recipere?*

42.
Sensus du-
biij propo-
nitur.

QUESTIO non intelligitur de corpore Christi
secundum statum quem iam habet, cum
enim sit in caelo gloriosum & proinde impatibile,
reipsa etiam est impatibile ab eo statu, & considera-
to Christi corpore secundum suam naturam, &
spectato secundum praesentiam sacramentalem, de
quo quaeritur num ab agente naturali naturaliter
operante aliam mutationem possit pati, quam lo-
calem, v. g. vtrum ab agente naturali possit frige-
fieri, calefieri?

Negatiua
probat.
D. Thom.

Nulla cau-
sa naturalis
potest
Christi
corpus pro-
ducere.

Nulla etiā
corrumpere.

Nullum
agens na-
turale po-
test ponere
qualitatem
in puncto.

Negat D. Thomas & cum eo communiter Do-
ctores, quod facile potest ostendi, discurrendo per
species materialium mutationum, quae hic possent
occurrere. 1. constat corpus Christi non posse ab
vlla naturali causa naturaliter operante produci,
tum quia nulla creatura potest propria virtute rem
existentem iteratō producere, tum quia nulla crea-
tura potest corpus producere modo indivisibili
quoad locum: cum enim omne corpus naturaliter
postulet localem extensionem, agens naturale non
potest illud modo indivisibili producere, tum quia
materia prima hic etiam producitur, cuius produ-
ctionem agens creatum non potest saltem natura-
liter attingere. 2. constat agens naturale non posse
corrumpere Christi corpus definendo illud con-
servare, seu per subtractionem influxus conserva-
tini, cum, etiam ut est in hoc Sacramento, non de-
pendeat ab vlla causa creatā effectivē ad eius con-
servationem concurrente. Non potest etiam agens
naturale illud corrumpere praevia aliqua altera-
tione, quia non potest in corpore Christi existente
in hoc Sacramento producere qualitates, cum de-
beret eas producere indivisibiliter quoad locum,
quod agenti naturali naturaliter operanti est de-
negatum, nullum enim agens naturale naturaliter
operans potest ponere qualitatem in puncto con-
tra naturalem eius exigentiam. ex hoc patet quod
agens naturale non possit alterare corpus Christi,
prout est in hoc Sacramento.

Ex eodem principio oritur quod corpus Chri-

sti, prout est in hoc Sacramento, non possit augeri
vel decrefcere, cum illa supponant corpoream al-
terationem, quam per actionem agentis naturalis
nequit suscipere: adde accretionem corporis or-
ganici supponere manducationem, nutritionem
quae nequeunt continere rei indivisibiliter quoad
locum constituta.

Ex his facile apparet partes corporis Christi
non posse se invicem alterare, v. g. cor non posse
alias partes calefacere.

Difficultas est num ipsum Christi corpus non
possit in vicina corpora agere. multi negant exi-
stimantes eandem esse rationem actionis & pas-
sionis, & modum existendi indivisibilem quoad
locum obstat actioni corporis. Quidam affirmant
id non obstat, sed respectu actionis modum exi-
stendi diuisibiliter esse planē accidentarium, quae
sententia videtur probabilior.

Suppono verō Christi corpus non agere reipsā,
& immutare vicina corpora, Deo ita disponente
ob fidei meritum: cum enim ad fidem alendam
decurrit Christi corpus in hoc Sacramento secun-
dum se poni insensibiliter, decuit etiam ipsum
prout est in hoc Sacramento non agere in corpora
vicina illa alterando, cum ea ratione per effectus
sentiretur. hoc supposito

Probatur secunda sententia, eō quod non suffi-
cienter ostendatur id, quod alioquin habet virtu-
tem operativam, impediri ab actione, eō quod exi-
stat indivisibiliter: nam si quod sit impedi-
mentum, est quod effectus non possit produci quantus
in ordine ad locum, vel quod agens suā quantitate
debeat passum contingere: neutrum autem obstat,
quia cum effectus recipitur in externo subiecto
non tam debet in extensione proportionari agenti
quam passo, unde effectus quantus optime potest
procedere a causa indivisibiliter existenti quoad
locum: similiter contactus quantitativus non exi-
gitur ex alio capite, quam ut agens, & patiens sint
simul, seu non distent a se invicem, eō quod nihil
possit agere in distans, sed etiam dato quod huius-
modi contactus requiratur (quod tamen aliqui
non improbabiler negant) si localiter constitu-
tum in indivisibili possit contingere aliquid quan-
tum, nihil obstat ex eo capite, quo minus possit
in illud agere: sed nisi vis fiat in voce, indivisibiliter
constitutum potest contingere quantum.

Dices modus operandi sequitur modum essen-
di; ergo constitutum in indivisibili non nisi indivi-
sibiliter operari potest.

Resp. neg. consequentiam, si particula, indivi-
sibiliter, respiciat effectum producendum; nam as-
sumptum non ita intelligitur, quasi effectus pro-
portionetur causae in omni eius modo, sed quod
causa dependens vel independens in suo esse a ma-
teria, ab eadem dependeat, vel non dependeat in
operatione: item quod modus operandi talem ef-
fectum specie, sequatur modum essendi specifi-
cum, non verō quantitativum.

DUBIVM III.

*Qua ratione corruptis speciebus Christi
corpus desinat esse in Eucharistia?*

D. Th. responsione ad 2. refert quosdam exi-
stimasse Christi corpus non remanere in hoc
Sacramento, si in crastinum referretur; quod docet
esse falsum eadem responsione, & responsione ad 3.
& non

& non obscure repugnat fidei, cum adoretur hostia consecrata quamdiu remanent species, etiam si constet a multis diebus fuisse consecratam, quod etiam potest ex forma consecrationis colligi, per quam ponitur corpus Christi sub speciebus panis sine restrictione ad tempus.

Confir. species non recipiunt substantiam panis, ergo Christi corpus non desinit sub illis latere, cum nunquam sint extra subiectum substantialem, nisi sub illis sit corpus Christi. reiecta ergo ea sententia.

Suppono illud corpus in hoc Sacramento non remanere, quando species corruptae sunt, vel ita alterata, ut panis substantia sub illis non remaneret, ut communiter Doctores. cum enim corpus Christi succedat pani sub speciebus, non debet diutius remanere, quam remaneret panis substantia, quam constat non remanere sub speciebus corruptis.

Confir. si dicatur Christi corpus illis speciebus corruptis remanere, vel dicendum est remanere extra omnem omnino speciem, vel sub alijs; prius dici nequit, quia corpus Christi extra caelum solum existit in Sacramento, non esset autem Sacramentum, si esset extra omnem omnino speciem, cum nihil esset sensibile. praeterea corpus Christi in hoc Sacramento datur nobis per modum cibi, quam rationem non fortiretur constitutum extra omnem speciem. posterius etiam dici nequit, si enim dicamus sub alijs speciebus remanere, poterimus dicere alias species posse consecrari, quod non videtur dicendum.

Nec satisfacet qui dicit id non sequi, cum res possit permanere sub ijs, sub quibus non possit primo constitui, in inquam non satisfacet, cum enim Christi corpus non ponatur sub speciebus virtute naturalis alicuius agentis creati, sed diuina institutione, non debemus discurre de eius permanentia ex modo, & ratione perseverandi rerum naturalium, sed ex fidei principijs, & ijs, quae sunt magis conformia sensui Ecclesiae: ex his autem non colligimus perseverare sub alijs speciebus, corruptis speciebus panis, sed potius contrarium; cum enim interdum ex hostia generentur vermes, quos Ecclesia nunquam proponit adorandos, satis indicat corpus Christi ibi non latere, & ipsa consecrationis forma aliquo modo nos docet illud sub alijs speciebus non remanere, cum pronomen, *Hoc*, quod priores species respiciebat, non possit respicere posteriores, manente invariata significatione.

His praemissis plures sunt de praesenti quaestione sententiae.

Prima asserit corpus Christi desinere esse in hoc Sacramento absque omni sui mutatione, sola mutatione & corruptione specierum tribuitur Caietano hic art. 6. qui eam innuit.

Secunda censet corpus Christi desinere esse per mutationem localem, corruptis enim speciebus in caelum ascendere, ubi praeter naturalem praesentiam, tot acquirat, quot hostiae sunt consumptae, haec sententia tribuitur quibusdam modernis Theologis.

Tertia docet desinere esse in hoc Sacramento per solam deperditionem localis praesentiae, ita Suarez disp. 54. sect. 1. conclus. 3.

Quarta tenet desinere esse substantialiter secundum replicationem qua est in hoc Sacramento per subtractionem concursus conservativi, Deo desinente illud conservare, prout est in hoc Sacramento, cum primum species esse desinunt, quam sententiam tenuit Lessius in hunc articulum.

Dico 1. corpus Christi desinit esse in hoc Sacramento per veram sui mutationem.

Probatur 1. per consecrationem ponitur sub speciebus per veram sui mutationem (paulo latius sumptam mutatione, ut non solum conveniat subiecto, sed etiam terminis) ergo per veram sui mutationem desinit esse, cum non appareat potior ratio, cur in priori casu intercedat mutatio, quam in posteriori.

2. Corpus Christi ante corruptionem specierum verè erat in eodem spatio cum illis, non est autem illis corruptis, ergo ipsummet corpus in se mutatur, & non tantum species. nam idem corpus non potest dici modò praesens alicui spatio, modò non praesens, sine aliqua sui mutatione. 3. non videtur negandum, quin corpus Christi possit ita desinere, ut nulla intercedat mutatio circa species. quid enim necessitat Deum, ut illud corpus tamdiu conservet sub speciebus, quamdiu ea permanent? illo autem casu necessario asserenda esset mutatio in ipso corpore, ergo non repugnat corpus Christi desinere esse in hoc Sacramento per veram sui mutationem; & non appareat ratio negandi illam defacto intercedere, nam mutatio specierum neque repugnat mutationi corporis Christi, neque arguit illam non intervenire, & de cetero commode dici potest corpus Christi desinens esse sub speciebus, illis mutatis, eodem modo mutari quo mutaretur, si desineret esse immutatis speciebus.

Dico 2. corpus Christi desinit substantialiter quoad eam replicationem, qua ponitur in Eucharistia.

Probatur 1. per consecrationem acquirit de novo esse substantiale, ut supra docuimus, quod esse, prout iteratò acceptum, non videtur perseverare: quod probatur, Deus non videtur perseverare: corpus Christi extra statum naturalem nisi tanquam designabile per species, cum ergo ijs corruptis desinit esse per species designabile, desinit conservari: ille autem modus desitionis est substantialis, seu quo substantia secundum esse substantiale desinit.

Confirmatur, corpus Christi videtur desinere esse modo opposito ei, quo ponitur in hoc Sacramento; atque, ut ostensum est, ponitur in hoc Sacramento per actionem, qua eius esse substantiale reproducitur, ergo desinit esse per deperditionem eiusdem esse substantialis.

Probatur 2. contra secundam sententiam; si corpus Christi acquireret novam praesentiam, & ad caelum ascenderet, vel ibi existeret modo quantitativo, & naturali, vel indivisibili; prius non dicitur convenire, cum Christus tantum semel agnoscat esse in statu naturali; secundum etiam dici nequit, cum Ecclesia sentiat Christi corpus solum esse in hoc Sacramento inextensum in ordine ad locum, praeterea ille modus existendi nec est utilis, nec cum solido fundamento asseritur.

Probatur 3. contra tertiam sententiam. corpus Christi vel perseverat secundum eam replicationem, vel non perseverat: si dicatur secundum, habetur intentum, quod scilicet substantialiter mutetur; si dicatur prius, non potest carere omni praesentia locali naturae suae proportionata, igitur non potest dici desinere per solam deperditionem loci seu per solam privativam mutationem.

Ex quo patet sententiam Suarez praesertim positam eius principijs videri impossibilem; nam, ut iam ostendimus,

46.
Conclus. 1.
desinere
per veram
sui muta-
tionem.

Idè corpus
nequit dici
modò pra-
sens, modò
non praesens
sine sui
mutatione.

47.

Conclus. 2.
desinere
substantialiter
quoad
replicatio-
nem sacra-
mentalem.

Impugna-
tur secunda
opinio.

Impugna-
tur tertia.

Sententia
Suarez
videtur
impossibi-
lis.

ostendimus, videtur omnino repugnare, quod res existat iteratò, & secundum illam replicationem destituatur omni præsentia, iuxta illum autem corpus Christi existit in hoc Sacramento acquisito de nouo esse substantiali, si ergo per corruptionem specierum non desinat esse quoad illam replicationem, fieri nequit ut ita mutetur priuatiue quoad locum, ut nullam aliam præsentiam acquirat. ex quo patet solutio præcipui fundamenti ipsius.

48.

Dices Angelus existens in totâ aulâ potest se reducere ad medietatem aulæ, & amittere præsentiam localem respectu alterius partis, nihil aliud deperdendo vel acquirendo, ergo talis mutatio non est impossibilis, ergo nec est impossibilis in præsentia.

Resp. neg. secundam consequentiam, quamuis enim fortè non sit impossibile rem, quæ simplici sui diffusionem est in magno spatio, sese reducere ad minus intra idem spatium absque omni acquisitione alicuius, fieri tamen nequit ut res replicata remaneat secundum vtramque replicationem, & perdat secundum vnâ locum in quo erat, & secundum eandem nullam aliam præsentiam acquirat.

Dixi in casu obiectionis, fortè, quia probabile est Angelum toties mutare *vbi*, seu præsentiam, quoties mutat etiam partialiter spatium sese reducendo ad minus, supposito quod *vbi* sit modus à re distinctus (quod in præsentia tractatu sæpius suppono, ut rem explicem iuxta sententiam id asserentem, siue ita sit, siue non) 1. quia motus localis habet pro termino intrinseco *vbi*, ergo Angelus non potest se mouere etiam intra idem spatium, quin acquirat aliquod *vbi*. 2. Angelus dicitur esse in spatio vnus milliaris formaliter per tale *vbi*, quod dicit ordinem ad tantum spatium, ergo quando est in minori spatio habet nouum *vbi*, per quod fit illi præsens.

Dices, si corpus Christi desinat modo à nobis explicato, verum erit dicere: corpus Christi definit esse, quod videtur absurdum.

Resp. negando id absolute dici posse, cum enim perseueret alibi quoad substantiam, non potest absolute dici: *desinit esse*, sed solum cum addito, secundum hanc replicationem. Nam propositio, in qua sine addito simpliciter diceretur: corpus Christi definit esse, significaret illud nullo modo remanere in rerum naturâ. cum enim aliquid absolute negatur de singulari, censetur vniuersaliter ab eo remoueri, seu vbi cumque sit; ut cum dicitur: Petrus non currit; vnde in diuinis illa propositio falsa est: Deus non generat, Deus non generatur, quia designatur quod Deus in nulla persona generet, seu quod nulli personæ diuinæ competat generare, nulli competat generari, quod falsum est.

Contrâ, videtur incongruum quod etiam secundum replicationem Christi corpus intreat, cum sit res excellentissima.

Resp. neg. assumptum; nihilominus enim permanet in rerum natura, & institutio huius Sacramenti non requirit, ut idem corpus secundum omnes replicationes, secundum quas in hoc Sacramento est positum, perpetuo permaneat, immò magis est conforme institutioni, ut desinat esse corruptis speciebus, cum sit datum sub speciebus tanquam cibus animæ, quod illis corruptis ei non conuenit.

Si Christi corpus tantum haberet esse sub speciebus,

Aduerte tamen, si corpus Christi tantum haberet esse in hoc Sacramento, decens esset illud à

Deo conseruari, non verò corrumpi corruptis speciebus.

Petes, an quando corruptis speciebus corpus Christi definit, possit dici annihilari secundum hanc replicationem?

Resp. posse, quia ita definit, ut nihil eius remaneat quoad eam replicationem, cum desinat tota eius materia, & anima.

Dices conuertitur in aliam substantiam; ergo non annihilatur. Antecedens probatur, quia non definit esse sub speciebus, nisi succedat alia substantia.

Resp. neg. assumptum, ad cuius probationem dico productionem & successionem alterius substantiæ planè concomitanter se habere ad destinationem corporis Christi, non verò per se; Deus enim non destruit corpus Christi ut alia substantia producat, sed quia non remanent species idoneæ conseruationi substantiæ panis; non enim decreuit diutius corpus Christi sub accidentibus conseruare, quam sub ipsâ substantia panis conseruaretur: quia verò accidentia non possunt naturaliter esse sine omni subiecto, nec Deus decreuit illa conseruare sine subiecto, fit ut sub nouis accidentibus noua substantia ponatur, cuius proinde positio per accidens se habeat ad destinationem corporis Christi, & ita corpus non possit dici in illam conuertere: quod enim in aliud dicitur conuertere, ita se debet habere respectu illius, ut vnus dicatur destrui, ut alterum ponatur.

Confir. si corpus Christi conuerteretur in aliam substantiam, agens naturale, quod alterat species & aliud producit, deberet dici illud corpus attingere, quod tamen nullo modo dici potest, cum alteratio specierum per se loquendo nihil operetur in corpus Christi, nec agens naturale possit illud alterare, ut patet ex superiori dubio. Adde agens naturale solum posse concurrere ad formalem conuerfionem, in qua remanet materia, cum autem definit corpus Christi, etiam definit materia corporis.

ARTICVLVS VII.

Utrum corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, videri possit ab aliquo oculo saltem glorificato?

RESPONDET 1. corpus Christi à nullo oculo corporeo in hoc Sacramento videri posse. 1. quia ut videatur corpus, debet immutare medium per sua accidentia, quod non potest præstare corpus Christi, prout est in hoc Sacramento. 2. quia corpus Christi hic est per modum substantiæ, id est eo modo, qui conuenit substantiæ secundum se, & prout præscindit ab accidentibus corporalibus, substantia autem ita se habens non est visibilis.

Respondet 2. illud corpus, prout est in hoc Sacramento, videri posse ab intellectu glorificato Dei, Angeli, vel hominis, posse etiam à viatore per fidem cognosci.

Respondet 3. intellectum Angeli vel hominis non posse per nudas naturæ vires illud videre.

De secundâ conclusione nulla potest esse controuersia, de primâ verò, & tertiâ dubitari potest, itaque

DVIVM